Q. D. B. V.

De

ALLODIALIS INVESTITVRÆ RENOVATIONE

CONSENSV MAGNIFICI IVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRÆSIDE

IO. PHILIPPO SLEVOGTIO, D.

CONSIL. SAX. ET ANTECESSORE
CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE
COLLEGIIQVE IVRIDICI H. T. DECANO

PRO LICENTIA

SVMMVM IN VTROQVE IVRE HONORIS GRADVM
LEGITIME CONSEQVENDI

DISPVTABIT

REINHARDVS HILMARVS Brandt


HOMBERGA - HASSVS


D. XXVII IVNII, HORIS CONSVETIS ANTE ET POMERIDIANIS.



IENAE, M DC XCIII

LITTERIS NISIANIS.





B. C. D.

CAP. I.

DEFINITIONEM REI EIVSQVE CAVSAM TRACTAT.

§. I.

DE ALLODIALIS INVESTITVRAE seu 1.
Emphyteutici contractus renouatione dicturos, more eorum, qui elaborata argumenta dare solent, de natura vocum ante sollicitos esse, ab eaque dicendi primordium facere oporteret. Sed vero cum hoc esset agere actum, & res a Viris summis iam expedita & occupata sit: facile me veniam impetraturum esse confido, si illos exscribendo chartam non perdam, sed pronas manus ad rem ipsam statim admoueam. † Inuestitura ratio- 2.
ne *obiecti* alia rerum *allodialium est 2. feud. tit. 26. §. Inter filiam. 1.* quorsum & emphyteusin refero; alia rerum *feudalium.* De priori impraesentiarum aliquid agere constituimus. Est autem ratione *ordinis ac numeri* alia *prima*

& antiqua, alia *ulterior;* quæ describi potest, Inuestituræ primæ emphyteuticæ, certis casibus quodammodo interruptæ, facienda solennis iteratio, moribus introducta, restaurandæ confirmandæque illius gratia. conf. *2. feud 32.*
3. *vers. de veteri.* † Atque hæc solummodo iam est huius loci. Vbi *Inuestitura prima seu antiqua* denotat obiectum renouandum: stat autem materia loco generis. *Solennis iteratio* formam innuit. *Certi casus* causam impulsiuam designant; coetera ad causam finalem pertinent; prout hæc omnia prolixius sequentibus capitibus demonstratum dabimus.

§. II.

4. Causas, quod emphyteusi finita debeat fieri renouatio, tradit Iason. *in l. cum dubitatur. ult. C. de jur. emphyt. num. 23. vers. primo propter. & seq.* Fieri autem debet partim propter commodum, quod sentit dominus, dum percipit laudemium ex tali renouatione: partim propter obligationem canonis Emphyteutici, ad quem Emphyteuta ex obligatione autoris sui non tenetur: partim, vt sciri possit, ad quem progressu temporis Emphyteusis deuoluatur: partim ad obscuritatem tollendam, ne temporis longinquitate obscurentur & lateant conditiones originis ipsius rei, sicuti refert Berlich. *Part. I. Decis. LXIIX. num. 1.* laudans insuper Petrum de Anchorano *Consil. XXX. num.*
5. *7. vers. ista sunt verba sua.* † Quas vt concausas tolerare possumus: præcipua tamen erit, debiti Domino *bonoris conseruatio.* Nam inter præcipuas feudorum obligationes est illa, quod contrahentes, eorumque heredes ad feudi recognitionem & Inuestituræ renouationem faciendam sunt adstricti: Ne scilicet Domini *seruitia* debita amit-

mittant, & *honor* illis debitus minuatur. Laudati apud Richter. *vol. 2. Consil. CCCXXXIIX. n. 2.* autores. Cur non ergo & in emphyteusi; propter vtriusque affinitatem? Vnde argumenta reciproca permittit Euerhardus *Top. 3.* add. Wesenb. *Vol. 7. Consil. 319. n. 124.* † Ratio huius rei non 6.
potest esse in obscuro: quoniam si vel maximè quis alicui & eiusdem heredibus fidelitatem promiserit, si tamen eo mortuo heredes contentos esse velit promissione, antecessori & indefinite heredibus facta, detrahere videtur aliquid eorum existimationi; dum tantundem, h. e. specialem & determinate in eorundum personas conceptam fidei promissionem præstare recusat: quod successu temporis negligentiam & vinculi obliterationem secum trahere potest: hoc autem qui agit, neutiquam satisfacit juramento antecessori præstito, de conditione illius melioranda magis quam deterioranda. † Quod vel inde patet, quia 7.
duorum condominorum, hactenus in communi viuentium, subditi, postquam communione per diuisionem discesserunt, ab vnoquoque renouationem petere debent, cui prædia obuenerunt: non obstante, quod iam tum vtrique in communione viuenti fidem præstiterint: quoniam facies rerum per diuisionem est mutata. Atque ita in causa *Casparis* Schöners zu Löbschau Mense Maii M DC XXIX Scabinos Lipsienses respondisse ait Carpz. *P. 2. Const. VI. d. 26.*

CAP. II.
DE PERSONIS RENOVATIONEM PETENTIBVS ET DEFERENTIBVS.

§. I.

8. Quoniam effato Imperatoris nostri §. *12. Instit. de I. N. G. & C.* omne ius quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones: ideo & nos qualemcunque ordinem seruaturi, secundum tria hæc capita progrediemur. Et prius de Personis videamus; nam parum est ius nosse, si Personas quarum causa
9. constitutum est, ignoremus. † Ne tamen confusim caput hoc tractantes, obscuritatem causemur, separabimus ante omnia Petentes a Præstantibus; quales sunt, illi quidem Emphyteutæ, vulgo Censiten. Hi Domini, die Grund und Eygen Herren. Illi vicissim aut singuli sunt, aut plures, qui vel dispersim agunt, vel in Collegio viuunt. Vtrique aut Principales sunt aut Vicarii, Lehnträger/ Curatores, rectius Procuratores dicti. Ratione ætatis maiorennes vel minorennes. Ratione status milites aut pagani. Videbimus an & Seculares vel Ecclesiastici?

§. II.

10. Generatim autem notanda veniunt quædam *requisita*, quibus se renouationis Candidati habilitent, vt in eos quadret renouatio; quosve renouationem impetrare oporteat. Primum est: vt Inuestitura priori aliquis comprehendatur. Istud enim certum est, quando nouus possessor



fessor non est in anteriori inuestitura comprehensus, noua potius inuestitura, quam vllius renouatione opus esse. Nam renouationi inest quædam relatio ad antiquam: Relata autem se mutuo ponunt & tollunt; sublato vno, v. g. anteriori, tollitur & alterum, renouatio: cum non entis nulla sint prædicata. † Vnde tanquam ex hypothesi 11.
ac certissimo fundamento fluit, teneri ad impetrandam renouationem I. Prædefuncti Emphyteutæ HEREDES: per rationem, quod continuum negotii mortis interuentu fuit interruptum; opus igitur est restauratione, iungendi sunt heredes iterum cum Domino, per nouum contractum: Nec impedit censeri vnumquemque contraxisse pro se & heredibus, contineríque eos tacite contractu, licet haud fuerit eorum expressa mentio facta: Procedit enim solummodo quoad effectum eos admittendi, non vero a noui contractus necessitate liberandi. † Amplia- 12.
mus igitur (1) procedere & imo requiri renouationem, etiamsi heredes parentis inuestitura comprehensi, atque expressim nominati fuerint. Idem dicendum, & multo magis, si extranei forent heredes. Nec iuuantur, si dicant, se testamento institutos esse: quia voluntas testantis sola non facit eos suos aut de sanguine; multo minus facere potest, vt non cogantur inuestituram petere. vid. Dn. Richterus *Volum. 2. Consil. CCCCXXIII Scabinatus Ienensis, ad requisitionem Ioh. Georg.* Köhlers zu Arnstadt *Mense Februar. 1657.*

§. III.

Ampliamus (2) procedere atque oportere PLVRES 13.
etiam vnius Emphyteutas renouationem petere: non obstante, corpus seu prædium Emphyteuticum non esse nisi

si vnum; nec posse ob id canonem multiplicari, quod plures sint heredes, ergo nec fidem aut ius vllum desuper competens: quia verum nihilominus manet, cuiuis heredum ratam ex integra massa, & actionem famil. ercis. competere. Ergo & huius intuitu renouationem petere oportebit: sicuti ita *Lipsienses Mense Decembri* M DC VII *ad consultationem H. N. responderunt:* Daß ein ieglicher
14. seinen Antheil in Lehn zu nehmen schuldig. † Quid si vnus ex fratribus vel agnatis, simul feudum possidentibus, mortuus fuerit, in feudo obseruandum veniat, Beat. Dn. Struuius *S. F. cap. X. aph. 3. n. 2.* tractat. Propior huc pertinens quæstio est, si plures illi coheredes pro renouatione impetranda, curatorem, einen Lehnträger / constituere malint, num audiendi, atque hic admittendus sit? Videbatur quod sic, quia constitutio curatoris est ex genere permissorum: adeoque illi neutiquam prohibendi. Enimuero procedit hoc solum, vbi alterius, cum quo negotium gerendum, nihil interest: At vero domino Emphyteutico præstanda est fides: oportet ergo circumspectum esse, a quo recipiat. Vnde casu superiori, responso annexum, und der Lehnherr P. von K. einen Lehnträger zuzulassen nicht schuldig / V. R. W. apud Berlich. *Part. 1. Decis. XX.*
15. † Versa vice quæsitum: *An Dominus procuratorem illis obtrudere, atque non nisi eius interuentu renouationem indulgere valeat?* Quod itidem dicendum videbatur, quoniam potest quilibet rei dominus statuere, vtrum ipse an per alium velit tertio cuidam ius in eam concedere, aut rem alienare; & si displicet tertio modus a domino electus, licet ei a contrahendo abstinere. Enimuero, procederet hoc, dum nondum alteri ius quæsitum esse:

At

At verò heredes Emphyteutæ contractu atque inuestitura patris iam tum continentur, nec ita libera manus est domini, vid. Berlich. *d. l.* Eodem modo non possuntcogi heredes Emphyteutæ, vt renouationem inuestituræ per curatorem petant. Et ita Scabini Lipsienses *Mens. Ian.* M DC XVI *ad consultationem* Blasii Kinds und consorten zu Prinstelwitz responderunt: So ist der Lehnherr gegen Entrichtung der gebührenden Lehnwahr/ ihnen ingesamt die Lehn mitzutheilen schuldig/ und sie mögen einen Lehnträger unter sich zuverordnen nicht gedrungen werden V. R. W. apud eundem Berlich. *dict. part. 1. Decis. XXI.* † Declaramus tamen 16. fallere, sicubi lex aut consuetudo contrarium introduxerit: Prout in Serenissimorum Saxoniæ Ducum constitutione Prouinciali de A. M D LXXXIIX, Tit. XXXIIX prohibita est Emphyteuticorum bonorum scissio, atque iniuncta Præfectis cura, ne eam admittant, quin potius prouideant, vt scissa semel quandocunque reduniantur; in eaque lege fundari etiam videtur Thuringiæ vsitatum Ius congrui. Domini enim interest certum habere Emphyteutam, & ne res per plures personas & loca dispersa reddatur difficilior & inutilior. Dn. Richter. *volum. 2. Decis. LXXXIII num. 156.* Atque ita plerumque seruare consuetudinem Germaniæ, Carpzouius *p. 2. C. XXXIIX D. 5. n. 8.* testatur.

§. IV.

Et quoniam mores Saxonici admittunt simultaneam 17. inuestituram in feudis, ampliamus (3) teneri casibus emergentibus renouationem inuestituræ impetrare, qui solum simultanee inuestiti sunt. Beat. Dn. Struu. *S. F. cap. X aph. 1. num. 3.* Posito videlicet, quod & ad Emphyteusin

admisſi fuerint ſimultanee inueſtiti: per eandem rationem, quod poſiti in prima inueſtitura, ponendi ſint & in reiterata. Idque argumento à feudis ad Emphyteuſin ducere permiſſo. Non obſtante, quod non poſſideant: prout ſentiunt Dd. apud Klock. *Tom. II. Conſil. XV n. 64.* Id quod Electorali Conſtitutione *XLV part. 2. verſ.* Der
18. geſambten Hand aber/expreſſe cautum. † Declaramus tamen procedere ſolum moribus Saxonicis, vt fallat de Iure Feudali communi. Notari hic etiam poteſt ſingularis in Luſatia ſuperiori conſuetudo, qua non opus habent ſimultanee inueſtiti, antequam ipſis ſucceſſio obuenerit, renouationem inueſtituræ petere: quod confirmatum eſt in Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen Lehns-Ordnung in dem Marggraffthum Ober-Laußnitz de A. M DC LIII cuius verba exhibet Beat. Dn. Struu. *S. F. cap. X. aph. 1.*
19. *num. 5.* † Sed &, cum de hac ſumma & rigida ſimultaneæ inueſtituræ repetitione vel renouatione in ſingulos caſus, quibus Vaſallus aliquis moritur, ab Agnatis, quantumuis remotisſimis, ſub pœna feudi amittendi facienda, Sereniſſimus quondam Elector Brandenburgicus, Ioachimus Fridericus a Vaſallis ſuis ſubmiſſe admoneretur, & vt duritiem illam moderaretur & temperaret, obnixe rogaretur, publica Conſtitutione d. 1. Decembr. M DC II typis excuſa & publicata, manus illius coniunctæ duram & grauem atque Nobilitati pernicioſam repetitionem & renouationem clementiſſime ſic mitigauit & reſtrinxit, vt mortuis quidem feudorum Dominis, omnes & ſinguli quocunque loco vel gradu ſint, coniunctam manum repetant: ſed ſi Vaſalli feudorum poſſeſſores diem obeant, non niſi proximiores & defunctis re ipſa ſucceſſuri, onere

illo

illo grauantur. Verba Conſtitutionis huc ſpectantia legi poſſunt apud Illuſtrem Dn. de Rhez. *Comment. ad Ius Feud. Lib. I. Tit. VIII. num. 12. pag. 350. & 351.*

§. V.

Quin & magni illi, & rerum experientisſimi ICti Lipſi- 20.
enſes & Wittebergenſes, ipſius etiam Saxoniæ inueſtituræ duritiem publica Conſtitutione moderandam ac temperandam esſe cenſuerunt: vt videre eſt ex eorum Conſultationibus *part. 1. de Contractib. Quæſt. XI pag. 16.* ſunt verba Cothmanni celeberrimi illius ICti Roſtochienſis
vol. 3. Reſponſ. XXXV num. 56. ſeq. † Quinimo a lege Sa- 21.
xonica ſcripta mores recesſisſe fertur, vt fallat quoque
ibidem. † Quando igitur eiusmodi ſimultanee inueſtiti 22.
renouationem haud petierint, posſesſores interim feudum alienauerint, & eorundem familia expiret, quæſitum eſt, num non ſimultaneo inueſtiti reuocationem inſtituere valeant? Affirmatiue Menſe Nouembr. M DC LXVII ad conſultationem Adolffs von Keppichau a Facultate Iuridica huius loci reſponſum esſe Dn. Richerus *vol. 2. Conſil. CCCCLIV* teſtatur.

§. VI.

Sequitur itaque requiſitum II petendæ renouationis, ad actualem posſesſionem quem peruenisſe. Nam expediti iuris eſt, quod Vaſallus eo caſu, quo ipſe rem feudalem non posſidet, ſed ab alio res posſidetur, inueſtituræ renouationem petere necesſum non habeat: Ideoque etiam ob non petitam inueſtituræ renouationem feudum neutiquam amittat. DD. ad hoc allegati a Cothmanno *vol. 2. Reſp. LVI n. 91.* Vnde ſequitur, eum qui nudam habet expectatiuam, ad hoc neutiquam adſtringi. vid. Beat.

 Dn.

23. Dn. Struu. *Synt. Feud. cap. X apb. 1. num. 4.* † Exaudiendum autem hoc asserimus I qualitercunque casus aperturæ & deuolutionis contigerit, mortuus fuerit Dominus an Emphyteuta. Quin & mortuo ex pluribus vno, superstites renouationem petere tenentur, quia continuum ruptum est. Quatenus tamen id fieri oporteat in feudis, demonstrat Beat. Dn. Struu. *Synt. Feud. dict. cap. X apb. 3. num. 2.* Sed & tertio Heredes omnes superstites, nulla nec ex illorum, nec Domini persona contingente mutatione, ad renouationem petendam obligantur, casu quo Vicarium habuerunt constitutum, isque mortuus fuerit. Beat. Dn. Struu. *S. F. dict. cap. X apb. 3 num. 2. cas. 3.* Dn.
24. Richter. *Decis. LXXX num. 159.* † Ampliatur, vt etiam si viuat Vicarius ille seu curator, Principalis autem fuerit mortuus, renouationem per heredes principalis fieri oporteat: quia mutatio vtique contigit in principali: Mandata autem soluuntur morte mandantis §. *10. Inst. de Mandat.* Non impedit ergo dominum, nec iuuat heredes Emphyteutæ, superuiuentia des Lehnträgers/ quia non habet rem suo nomine: prout Domini Scabini Lipsienses Mens. Aug. M DC XVI ad requisitionem Heinrichs von Uchtritz auff Madelwitz apud Berlich. *part. 1. Decis. XXIII num. 3.* responderunt. Quin, si & Principalis viuat, fundum tamen alienet, emptorem oportet inuestituram impetrare: quæ tamen prima erit, nec renouatio dicenda. Adde si diuiserint domini fundum, quod su-
25. pra ex Carpzou. *p. 2. C. XIV. d. 26.* adduximus. † Istud tamen quæritur, vtrum hisce casibus Dominus Laudemium exigere queat? Quod videbatur negandum: aut enim principalis est superstes, & non debebat ei nocere mors curatoris sui: Aut curator, & non poterit Domino proficere

mors

mors principalis, penes quem fundus non fuit, assignatus quippe Vicario. Contrarium tamen pro domino, eiusque affirmatiua statuit, in eamque sententiam iuisse Scabinos Lipsienses dato Responso Mens. Octobr. M DC XV, testis est Berlich. *dict. part. 1. Decis. XXII.*

§. VII.

Nec interest quarto, singuli an Vniuersitates & Col- 26.
legia fundos possideant Emphyteuticos: vtrique renouationes petere jubentur. De singulis non est dubium, in quibus casus mortis existere possunt ac solent: Vniuersitates contra non moriuntur: aut si possibile sit, extingui, rarissime tamen hoc contingit. Enimuero, non sola mors est causa mutationis, verum & contractus alienationis. Atque imo hæc ipsa longæuitas Collegiorum in causa est, quod Domini in rem suam vigilauerint: nam & laudemia ipsis decedunt, & poterat tanto temporis decursu status emphytheuticus fuisse obliteratus, iactarique res pro libera. † Quare, aut iubentur & ipsa Vicarios constituere, 27.
quorum alteratione casus renouationis contingunt: atque si tum neglexerint, ad priuationem aut mulctam experiri Dominus valet: quemadmodum ICti Iudicii Curialis Wittebergensis ad consulationem Alexandri von Miltitz zu Schenckenberg/ Mense Septembr. M DC XXII responderunt, allegante sæpe laudato Berlichio *part. 1. Decis. LXIIX num. 5. & 14.* Aut constituuntur certa renouandi fatalia, regulariter vinginti annorum; vt iis effluxis perinde ac si mortuus esset Vicarius, Emphyteusis sit renouanda.

§. VIII.

Nec distinguitur V Minorennis quis an Maiorennis 28.
sit: nam annum ætatis quartum decimum supergressus, si

 intra

intra annum & diem non petiit renouationem, feudo excidit; in tantum, vt hinc tantum excipiantur impuberes, non Maiores XIV annis: vt ait Clarus *in c. 1. Quo temp. mil. inuest. 1. Feud. 22. per c. si minori. 4. in fin. si de feud. defunct. 2 f. 26.* Wesenbec. *vol. 7. Consil. CCCXXXII. n. 335.* Licet intra tempora legitima restitutionem petere possint: summa licet negligentia, dum modo non contumacia omiserint Beat. Dn. Struu. *S. F. cap. X. aph. IX.*
29. *num. 3.* † Non VI Miles an Paganus sit: Nisi quod illi Mensis vltra annum *1. Feud. 22.* Huic dies tantum dictus credatur ab aliquibus. *2. Feud. XXIV. XL. & LII fin.* Dn. Richter. *vol. 2. Consil. CCCXXXIIX n. 3.* Quod discrimen tamen iuri feudali, cui miles non est nota oppositionis, sed status (atque Vasallus omnis idem & miles) haud conuenire, Dn. Struu. *Synt. Feud. dict. cap. X. aph. VII num. 1.* sed dies rem ipsam & anni excessum, Mensis rei modum, & quantitatem signare videtur. Idque exemplo Iuris Saxonici, cui formula Jahr und Tag tam in Land-Recht *Lib. 1. art. 28.* quam Lehnrecht *cap. XXII* denotet annum &
30. sex septimanas cum tribus diebus, *cap. XXV.* † Vtrum & Plebani, quorum Parochiæ certi fundi dotales sunt assignati, teneantur inuestituram renouare, si forsan sint emphyteutici, non sine dubitatione est. Videbatur dicendum: quum & sacerdotes inuestiri soleant. Carpz. *Lib. 1. Consistor. def. LIV seqq.* Sed multis modis in eos haud quadrat Inuestitura emphyteutica: Cum, quia non de fundis, sed de officio ecclesiastico fit inuestitura, in quam rem eleganter Vir Summus Hugo Grotius *de Imper. summ. potestat. circa sacra cap. X. Fefellit,* inquit, *nonnullos inuestituræ vocabulum: quod quia hodie de feudis potissimum vsurpa-*

vsurpatur, ideo omne id, quod de inuestituris Episcoporum dicitur, ad territoria & fundos pertinere putauerunt. Crassus error. Nam vestire & inuestire vetera sunt vocabula originis Germanicæ, quæ iuris qualiscunque collationem significant. Ideo apud veteres Auctores officiis omnibus, tum ciuilibus, tum Ecclesiasticis aptata reperiuntur: quæ officia nunc, cum in heredes non transeant, nec renouatione indigebunt. Ac licet Patronum dicas mortuum, Inuestitura tamen non ad eum spectat, sed est Iuris Episcopalis, Carpzou. *d. l.* nec status reiterabilis, ratione eiusdem officii. Addas quod plerunque dos illa soleat esse libera, & Parochiæ citius Emphyteutas quam Dominos agnoscant.

§. IX.

Requisitum III, vt ad petendam, seu obtinendam renouationem, Candidati iusto possidendi titulo se qualificent, non agnoscimus: capiti tamen IV de Forma breuitatis causa seruamus. Transituri ad alteram huius capitis partem, de subiecto renouationem præstante. Nimirum Dominus feudi desuper implorandus est, qualiscunque sit: I Ipse an eius heres, vel in quem ius suum viuus transtulit. II Vnus sit an plures: Nisi quod vnum ex se constituere soleant cui iuramentum fidelitatis, omnium tamen nomine præstetur. Carpzou. *p. 2. C. XLV d. 29.* Nec enim Vasallus, a quo ad Emphyteutam licet inferre, tenetur ratione vnius eiusdemque feudi plures agnoscere Dominos. Dn. Richter. *vol. 2. Consil. CCLXXIV.* vbi Mense Octobri M DC XVII Hanßen Heinrichs Müffling responsum a ICtis huius loci fuisse scribit. † Quid si vnus ex pluribus Dominis moriatur? Distinguit Frantzkius *Lib. 1.* 31. 32.

Resol.

Resol.XIX.n.22. vt si liberos hic relinquat, his vtique iurandum sit, sin nullos, iuramento haud sit opus, idque ideo, quod eædem personæ, quibus iam ante ratione eiusdem feudi est iuratum, succedant in partem pro indiuiso, conf. Beat. Dn. Struu. *S. F. cap.X. aph.2.n.2.* qui tamen *aph 3.n.5.* vsum
33. cuiusque loci spectandum ait. † Non attendit III Maior an minorennis sit. A Domino quoque minore petendam renouationem esse tradit. Dn. Struuius *S. F. cap. X. aph. 9. num. 1.* Ampl. Etiamsi Curatorem non habeat: quia pupillus & Minor renouationem feudi potest dare sine Tutore aut Curatore, Carpz. *Disp. Feud. III. thes. 22. fol. 271.* & inuestituras renouare etiam minores posse Cothmannus *vol.3. Resp. XLII. n. 6.* scribit; si feudi, cur non & Emphyteuseos?

§. X.

34. Non IV Volens an inuitus existat Dominus. Non obstante, quod inuestitura sit titulus gratiæ, feudum sit beneficium, quod inuito non debeat extorqueri. Exaudiendum enim hoc est de Inuestitura prima. Confirmatio enim siue Nouatio Inuestituræ non est gratia. Dn. Richter. *vol. 1. part. VI. Consil. II. num. 53.* & Inuestitura illa, quæ a nouo Domino fit pristino possessori, est tantum renouatio prioris Inuestituræ, quam dominus etiam inuitus, & sine exactione laudemii concedere tenetur. Idem *dict. vol. 1. part. 3. Cons. 1. num. 8.* Præsertim, si nouatio ex parte domini contigerit sine facto possessoris, Idem *De-*
35. *cis. LXXXIII. num. 118. v g.* venditione. † Si Emphyteusin teneat quis ab Ecclesia, renouatio petenda est a prælato: sed eo defuncto, si intra annum & diem alius non eligatur, a Capitulo. Beat. Dn. Struu. *S. F. cap. X. aph. 2. num. 3.*

n.3. Carpz. *p.2. C. XLV. d. 22.* Quando plures condomini inuicem controuertunt, vt neſciat emphyteuta, quem recognoſcat, expectabit euentum, tempus ipſi non currit. Klock. *Tom. II. Conſ. XIX. n. 16. ſeq.* Surdus *Deciſ. VI. num. 16.*

CAPVT III.

QVARVM RERVM RENOVATIO PETENDA.

§. I.

Detinuerunt nos Perſonæ paulò longius, lucrabimur 36
tempus, ac paucioribus nos expediemus circa obiectum, ceu id quod in renouationem deducendum eſt: Quale eſt 1. Inueſtitura Prima, quam oportet verè præexiſtere. Quod ſi enim ea deficiat ſeu a priori ſeu à poſteriori, Renouatio aut nulla planè eſt opus, aut nihil operabitur. Nam habent ſe duo hæc tanquam correlata: at hæc ſe mutuo ponunt & tollunt, negato vno, negatur alterum. conf. Dn. Richter. *vol. 2. Conſ. CCLXXIX. in fin.* Deficere autem creditur, ſicubi facta fuerit de caducitate feudi adhuc ab aliquo poſſeſſi: quippe qua omnis effectus in futurum incertæ conditionis euentum differtur *c.1. §. moribus. 2. ſi de feud. defunct. 2. F. 26.* † Quare cui ſo- 37
lum expectatiua conceſſa, quique inueſtitus in caſum mortis alterius Vaſalli poſſeſſoris, veram inueſtituram non habere cenſetur: Poſita enim ſub conditione non cenſentur poſita in diſpoſitione. *l. 213. ff. de V. S. l. 115. de V. O.*

Deficiente igitur vera inueſtitura, quid opus erit renouatione? Hartm. Piſtor. *part. 2. Quæſt. XXXI. n. 13.* Berlich. *part. 2. Concl. LIV. n. 55. fol. 376.* Quare licet eiusmodi gratiam nactus, caſibus mutationum renouationes haud quæſiuerit: cùm vel tandem ad ipſum vel ſuos peruenerit feudum, ob id haud poterunt repelli, ne quidem in terris Saxonicis, prout Dn. Scabini Lipſienſes Menſe Majo M DC XXXII, in causâ Sebaſtiani à Winlebens reſpon-
38 derunt. Carpzou. *p. 2. c. XLV. d. 10.* † Contra euenire poteſt, vt renouatio nihil operetur, ob id quod inueſtitura prima expirauerit. Id quòd accidit in ſimultanea inueſtitura per mortem ac diuiſionem fracta, ſicubi forſan ſeniorum aliquis frater aut Agnatus ſolum petierit inueſtituram ſimultaneam ſibi confirmari. Quoniam enim fracta ſemel fuit, pro non ente habetur: Non entis autem nulla confirmatio. Sequitur ergo, illum jure ſuo excidiſſe: adeoque delato tandem ſuccedendi ordine haud admitti: quemadmodum binis allatis caſibus Scabinos Electorales reſpondiſſe Carpzouius *p. 2. C. XLV. d. 24.* teſtatur, atque inſimul *num. 5.* cautelam ſuggerit, formulam petitionis ritè ac tutò concipiendi.

§. II.

39 Diximus, Inueſtituram primam renouationis obiectum eſſe. Notum autem eſt, eſſe eam aut ſolitariam aut ſimultaneam. Quæritur igitur, de vtra ſit exaudiendum? Et quidem intuitu primo, de vtraque affirmandum videtur; Neceſſariò enim renouatio ſimultaneæ inueſtituræ petenda eſt, inquit Dn. Richterus *vol. 2. Conſil. CCLXXIIX. n. 4.* aliàs jus inueſtituræ amittitur, atque ita in Scabitu Ienenſi Menſe Aug. M DC XXXIII. ad requi-

ſi-

ſitionem Dnn. Conſiliariorum zu Sondershauſen reſponſum aſſerit. † Quoniam tamen ad autoritatem Carpzouii *p. 2. c. XLV. d. 17.* prouocat, qui expreſsè inter Ius commune & Saxonicum diſtinguit, non immeritò etiam huius Academiæ ICti ſic erunt audiendi. Ampliamus igitur theſin noſtram ad ſimultaneam quoque inueſtitutam quantum quidem ad terras Saxonicas. Atque ſic non Electorales modò Scabinos Lipſienſes in cauſa Caroli Güntheri à Seebach Menſe Nouembr. M DC II. reſpondiſſe, verùm Senatum appellationum in cauſâ Haubolden von Schleunitzens contra Georgen von Schleunitz zu Dahlen Creditores, Termino Martini M DC XXIIX, decidiſſe refert Idem *lib. 6. Reſp. LXXIIX. n. 15. ſeq.* † Ampliamus deinde ad bona Futura; caſu quò habentibus quibusdam inter ſe ſimultaneam inueſtituram omnium bonorum, præſentium & in futurum quærendorum, Vni ex illis feudo nouo collatô, eoque ſine herede feudali decedente: Non poſſunt enim in iſto feudo ſimultaneè inueſtiti ſuccedere, niſi inueſtituræ renouationem intra annum & diem, computandum à tempore quô feudum nouum fuit quæſitum, petierint: quod cum Beat. Dn. Struu. *S. F. cap. X. aph. 3. n. 7.* de feudis dicat, nil vetat, de emphyteuſi etiam aſſerere. † Licet enim ſimultaneâ inueſtitura in genere etiam de Futuris bonis ſit concepta: quia tamen hoc feudum nondum fuit acquiſitum, neceſſe eſt, eô jam acquiſitô, quoad illud renouationem petere, & ad recens quæſitum applicare, quod vsque huc in ſpe ſaltem & actu primo habuerunt. Et dum Dominus pollicitus eſt ſe conceſſurum, nil quoque emphyteuta omittet eorum, quæ ſui ſunt officii. Planè vti ſeruatur caſu, quo quis

40 41 42

pro se & heredibus iurauit: nam & illi delato ad se feudo actualiter iurare tenentur. Vid. Id. *cap. X. aphor. 5. n. 2.*

§. III.

43 Habet igitur II. Renouatio pro obiecto Feudum apertum & possessionem euacuatam. Quamdiu igitur pristinus possessor in viuis & continuata possessione est, non securus modo erit alter ille, candidatus; verum perperam quoque fecerit, renouationem tunc petiturus, tanquam intempestiuus precator. conf. Carpzou. *p. 2. c. XLV. d. 20.* Habet quippe hic actus sua momenta & quasi fatalia, vt est qualitas heredum, conditi testamenti, tempus mortis testatoris & adeundæ hereditatis §. *4. Inst. de her. qualit. & differ.* extra quæ si quid accidat heredi, non at-
44 tenditur. † Ampliamus procedere etiam quoad feuda rustica & exigua; esse videlicet & hæc euenientibus casibus renouanda: Nisi quod rigor amissionis haud locum habeat: sicut infra in Effectu videbimus. Nec est tamen, quare ad sola feuda hæc adstringamus vid. Berlich. *part. 2. Decis. CLXVII. n. 13.* parum enim ab Emphyteusi distant illa Rustica. Atque imò in quibusdam locis etiam in bonis censiticis recepta est renouatio. conf. *Elect. Sax. Const. XXXIX. part. 2.* ibique Carpzou. *d. 4.* Beat. Dn. Struu. *S.*
45 *F. cap. 11. aph. 10. n. 1.* † Quod ampliatur, vt etiam in casu, quando duobus diuersis Dominis de eâdem re diuersi census debentur, bona censualia in quemcunque euentum mutati possessoris denuò recognoscantur à superioribus, & petatur renouatio inuestituræ; atque insuper laudemium soluatur; quemadmodum longissimo vsu intro-
46 ductum testatur Dn. Richter. *Decis. LXXXIII. n. 23.* † Fallit tamen atque opus non est noua inuestitura ratione

in-

incrementi; per rationem, quia ratione huius cessat inuestitura prima: non entis autem nulla renouatio per superius, *num. 44.* dicta.

§. IV.

Partem renouationis quasi integrantem constituemus Laudemium; quippe hoc ipso soluendum, quod Candidatum admisit Dominus. conf. Beat. Dn. Struu. *Synt. Feud. cap. X. aph. 12.* & *integro Tractatu* Dn. Frantzkius. Sed quid, si concurant plures Impetrantes ratione eiusdem prædii; Num suam quisque soluet portionem, tenebiturve Dominus esse contentus, vel vnico soluente suam ratam, An vero vniuersos & ad petendam renouationem, & ad integrum compellet laudemium præstandum? † Species facti talis esto: dedit quispiam Dominus fundum, & in eo stypticam fodinam, Allaun = Bergwerck / certæ societati, als Gewercken / in Emphyteusin, casibus emergentibus renouandam, præstito triginta florenorum laudemio. Mortuus ex sociis vnus reliquerat heredes, qui toto triennio renouationem neglexerant: quare Dominus vrgebat caducitatem totius fundi, aut laudemium integrum. Excipiebant cæteri, neque delictum Socii vnius eos posse grauare, nec vltra ratam exigi laudemium posse. In eamque sententiam Mense Iulio M DC XXII Dominos ICtos Ienenses respondisse, Richterus *volum. 2. Consil. CCCLXXXIX* testatur. † Illam vero Inuestituram, quæ fit a nouo Domino, sed possessori pristino, quoniam tantum est renouatio prioris inuestituræ, Dominus etiam inuitus, & sine exactione laudemii concedere tenetur. Dn. Richter. *vol. 1. part. 3. Cons. 1. n. 8. fol. 3.* prout supra indicauimus.

47 48 49

CAPVT IV.

DE

F O R M A.

50 Ratio formalis renouationis conſiſtit I in Relatione ad inueſtituram primam, quam præſupponit tanquam ſuum correlatum, ad eiusque ideam eſt inſtituenda Klok. *Tom. 2. Conſil. XIIX num. 11.* & in dubio ſemper præſumitur cum iisdem qualitatibus, & ſecundum primi, & præcedentis contractus naturam, & conditiones, nec non ſecundum pacta in antiqua inueſtitura contenta facta eſſe. Dn. Richter. *volum. 1. p. 3. Conſil. XXX. num. 79.* Effectus enim ſequens regulatur ſecundum naturam præcedentis cauſæ. Beſold. *volum. 1. Conſil. XIIX num. 2. fol. 435.* Quis autem ſit modus renouandi videatur apud B. Struu. *Synt. Feud. cap. X. aph. 4. p. m. 375.*
51 † Quemadmodum igitur in inueſtitura præſtandum fuit Iuramentum, ita & in renouatione: Idque licet defunctus pro ſe & heredibus iurauerit. Carpz. *Diſp. Feud. VI. theſ. 45.* aut Domino, & illius heredibus iuratum fuerit. Id. *ibid. theſ. 46.* Et ſicut ibi teſtes fuerunt adhibendi, ita quo-
52 que hic: Niſi quod in renouatione qualescunque admittantur. vid. Carpz. *Diſp. Feud. VI. theſ. 44.* & B. M. Pater *in Disſert. ſua Inaugurali de Inueſtitura Feudi. theſ. 53.* Nimirum Inueſtituræ antiquæ renouatio, non eſt proprie inueſtitura. Weſenb. *volum. 2. Conſil. LXIV num. 3. fol. 178.* Sed eſt ſolum correlatum, & veteris Inueſtituræ confirmatio, non principalis, ac noua inueſtitura. Weſenb. *vol. 3.*

Con-

Consil. CXLIIX num. 52. Consil. CCLXI num. 6. & Consil. CCCXXIV num. 35. fol. 534. Hodie, cum plerarumque curiarum feudalium moribus non amplius parium, vel aliorum testium præsentia, & subscriptio necessaria, sed sufficiant inuestiturarum literæ, sola Domini, vel eius nomine Cancellariæ Præfectorum incorrupta subscriptione, & sigillo munitæ Illustris Dn. de Rhetz. *Commentar. Feudal. lib. 1. tit. 2. ad verb. Nisi vel per pares.* Schenck. *P. 4. Epit. feud. num. 29.* Dn. a Seckendorf im Teutschen Fürsten-Statt/ *p. 3. cap. 3. regal. 4.* §. *2. p. 397.* Idem illud de Emphyteusi nunc dicendum.

§. II.

Vtrum renouatio refertur ad actus per se validos? E- 53
nimuero fit sæpe etiam sine titulo, imo etiam iniusto. Dn. Richter. *volum. 1. part. 3. Consil. XXXI num. 14.* Vbi Domini Consulentes inquiunt: Aber es nichts ungebräuchliches/ sondern es gibts die Erfahrung/ daß wenn iemand sich angiebt/und ümb renouation der inuestitur anhält/dieselbe leichtlich mitgetheilet wird/ und nicht zuvor Erkundigung geschicht/wegen des Titels/was vor ein Recht der Vasall darzu habe. Add. Hermann Esaias Rosacorb. *Practic. Forens. cap. XLVI. num. 11. & 12. pag. 200.* Nimirum quia in præsens sola vigilantia, & reuerentia Emphyteutæ attenditur. † Hoc tamen certum est, quòd inuestiturarum 54
renouationes erroneæ, & ex falsa causa factæ, Agnatis non præiudicent, neque antiquam feudi naturam, eiusve successionem immutent; Si forsan modernus possessor in eorum præiudicium aduersus tenorem inuestituræ primæ insolitum fidelitatis Iuramentum præstiterit, noua onera, seruitia, laudemia, sportulas, und Cantzeley-Gebühr-

nüssen

nüssen receperit. Klok. *Tom. II. Consil. VI. num. 124. 131.*

55 † Deinde II præsupponit renouatio feudum apertum: nec petenda est, pristino Vasallo adhuc superstite; Nec quando quis nondum est in quieta possessione, aut quando feudum plane non possidet. vid. Cothmann. *vol. 2. Resp. 56. num. 91.*

§. III.

56 Ad formam, certe accidentalem, referri possunt circumstantiæ Temporis, Loci, Numeri, h. e. Quando, & Quoties petenda sit inuestitura. Ac generatim quidem definimus Tempus mutati, seu Domini seu Emphyteutæ possessoris. Quoniam enim renouatio, vt iam modo diximus, relationem habet ad prædium apertum, & sic mutationem personarum, sequitur, quod durante per omnia pristino actu, renouatio non inueniat locum. Emphyteusis non debet renouari, nisi recognitio fuerit finita. *l. fin. ibique Iason & Dd. communiter C. de Iur. Emphyt.* conf. Berlich. *part. 1. Decis. LXIIX num. 1.* Dn. Richter. *Decis. LXXXIII. num. 166.* Speciatim vero tempus, quo heres vel Agnatus ad petendam renouationem emphyteuseos offerre se, & si obseruet, admitti etiam debeat, determinatur per annum & diem. Dn. Richter. *volum. 2. Consil. XCIII num. 14. seq.* perinde vt in feudis. Idem *Consil. CCCLXXXIX num. 3.* Debet vero renouatio peti intra annum & diem, quoties euentu mutationis, seu per mortem pristini possessoris, seu per contractum alienationis mutatio contingat: Prout etiam in specie, quod Donatarius ad petendam inuestituram Emphyteuseos annum & diem habeat, tradit Berous. *lib. 1.*
57 *Consil. XXIIX num. 10.* † Ampliatur I siue mutatio contingat in Possessoris, siue Domini Persona. conf. Dn. Richter.

ter. *volum.1.Consil. part.3.Consil.1.num.36.* Et quanquam in bonis censiticis secus obseruari quidam putent, in eoque differentiam constituant, teste Berlichio *part.2.Conclus. XLVII num. 11.* Elector tamen Saxoniæ *part. 2 Constit. XXXIX.* eam haud attendit, ac plerisque etiam locis idem seruari Carpzouius *ibid. d. 4. num. 5.* testatur. Computatio anni & diei fit a tempore contingentis mutationis.

§. IV.

Quæritur autem: Qualiter computetur dies, Naturaliter, an ciuiliter? h. e. Vnus præcise sit dies, an plures; & quoti? Et quoniam vnius diei spatium vix animaduertitur, ac parum foret solatii, solet hoc per Mensem explicari, atque isthuc trahi textus *1. f. 22.* Quem licet alii de militibus explicent, tanquam illorum ignorantiæ aliquanto plus indulgeatur, atque adeo textus *in 2. Feud. 24. 40. & 52.* de vno die loquentes, ad Paganos pertineant. Conf. Wesenbec. *num. 6. Consil. CCLXI. num. 1. seq.* Carpz. *Disp. Feud. VI. Thes. 40. fol. 311.* Richter. *vol. 2 Cons. CCCXXXVIII. n. 3.* Distinctionem tamen eam cum Vulteio *l. 1. c. 7. n. 61.* & B. Dn. Struu. *Synt. Feud. cap. X. aph. 7. num. 1.* reiicit Illustris Dn. de Rhez. *Comment. Iur. Feud. lib. 1. Tit. XXII ad verba: vt nemo miles. pag. 449. & 450.* vt adeo textus posteriores loquantur de re ipsa, & excessu spatii annalis: sed textus *1. f. 22.* de rei modo, quousque. Addatur supra *Cap. II. Th. 8.* † Porro Quæritur: Qualiter instituenda sit computatio: vtile sit spatium istud, an continuum? Et respondetur distinguendo, vt vtile quidem sit, positis impedimentis, Wesenbec. *volum. 3. Consil. CI. num. 2. & 28.* curratque demum a tempore scientiæ. Illustris Dn. de

D Rhez.

Rhez. *Comment. Iur. Feud. Lib. 1. Tit. XXII. ad verb. vltra annum & mensem. pag. 450.* Carpzou. *Disp. Feud. VI. Thes. XLI. fol. 311.* Continuum autem, iis cessantibus. conf. Wesenbec. *volum. 1. Consil. XLI. num. 58. Consil. XLIV. n. 82.* Quemadmodum nec currit, quamdiu Emphyteuta non est in possessione. Wesenbec. *volum. 3. Cons. CI. n. 11.* Excusationes plures vid. *volum. 3. Consil CI. num. 2. 5. 16. 28.* aut Domini inuicem controuertunt, ita & Emphyteuta nesciat, a quo petere debeat. vid. Klok. *Tom. II. Consil.*
60. *XIX. num. 16. seqq.* † Sed numne Dominus spatium isthoc seu in fauorem Emphyteutæ, seu in eius odium coarctare valet? Et cum casu priori aliorum Agnatorum remotiorum, casu posteriori ipsius Emphyteutæ præludicium versetur, neutrubi inuita parte quid statuere potest. vid. Carpzou. *Disp. Feud. VI. Thes. XLII. seq.* B. Dn. Struu. *S. F. cap. X. aph. 7. n. 3.*

§. V.

61. Hæc de Tempore, paucissimis de Loco & Numero videbimus. Vbi renouatio petenda? Et generatim quidem respondetur, quod in illis curiis, vbi id receptum: quemadmodum de simultanea in feudis inuestitura, eiusque renouatione respondet Carpz. *L. 6. Resp. LXXIIX. n. 9. 10. 11.* Speciatim vero in loco rei sitæ, seu vbi Dominus
62. libros censuales habere solet. † Toties denique requiritur inuestitura, quoties generatim possessio, per mortem Domini, aut Emphyteutæ interrumpitur. Dn. Richter. *volum. 2. consil. CCCCLIV. num. 8.* Speciatim tamen, quoties nouus possessor in anteriori comprehenditur inuestitura. Id. *Consil. CCCCXXIII. num. 6.* Alioquin enim desine-

desineret prioris continuatio, & nouiter admissus, magis primam nancisceretur, quam anteriorem renouaret.

Capvt V.

DE
EFFECTV.

§. I.

In re quauis conducit scire, quo posito, quænam 63.
sequantur, vt si nociua sint antecedentia, intermittamus, sin proficua, persequamur. Renouatio igitur cum fuerit suo tempore facta, negotium antecedens, inuestituram confirmat. Si in feudis, vti quidem Dd. indubitanter statuunt, vid. Cothmann. *volum. 3. Resp. XXXV. num. 13. & 45. Consil. XLI. num. 51.* cur non & in Emphyteusi? Ob sæpius iam adductam paritatem naturæ vtriusque negotii. † Natura autem Geminationis, seu I- 64
terationis ea est, vt maiorem deliberationem, enixam voluntatem & animi constantiam significet. *l. 32. ff. ad SCtum Trebell.* Ex actibus pluribus vniformibus tandem consuetudo, quæ est lex non scripta, oritur, vt vel primis Iustinianeis notum est: & id, quod ex interuallo repetitur, animo deliberato & re penitus, beneque discussa factum præsumitur. Paris. *vol. 1. Consil. X. num. 5. & 7.* & multum operatur ad validitatem contractus. Bart. *in l. cum scimus num. 6. & 7. Cod. de Agricol. & cens. lib. XI.* vide omnino prolixe Wesenbec. *volum. 4. Consil. CXCIV. num. 15. seq.* Treutler. *volum. 1. Consil. V. num. 59.* † Ampliatur hoc, tantopere renouationem spectari, vt per eam Nouatio

inducatur, & qui posteriori inuestituræ consentit, antiquæ ius perdat. Besold. *volum. 2. Consil. XXXIX. num. 19. seq. fol 47.* Posito videlicet in noua quidquam alteratum esse: vnde a contrario, si vtraque consentiat, fortius ligant: iuxta istud: duplex vinculum fortius ligat, quam vnum, & duplex funiculus difficilius rumpitur. *l. 83. pr. ff. de hered. Instit. l. 10 pr. C. qui testam facere poss.*

§. II.

66 Quibus positis euenit, si omissa penitus renouatio, aut debito tempore non facta, vt prima, quæ casu existente renouanda, & confirmanda fuisset, exspiret, adeoque qualitas prædii, quod eâ lege tenetur, extinguatur, consequenter dominus id sibi vindicare possit. Idque in Feudis indubiè procedit vid. Cothmann. *vol. 5. Resp. 1. num. 5. vol. 2. Resp. LVI. num. 475.* Num verò idem in Emphyteuta seruandum? Ita statuunt quidam, ducti argumento à feudo ad Emphyteusin: vt speciatim Berlichius *part. 1. decis. LXIIX. num. 13.* ICtos iudicii curialis Wittebergensis Mense Septembr. M DC XXII. Alexandro von Miltitz/ aduersus Senatum in Delitsch/ ita respondisse

67. testatur. † Enimuero, quantum ad feuda attinet, procedit illa sententia solum in maioribus, de quibus seruitia præstantur. Feuda RVSTICA vel exigua, de quibus non præstantur seruitia militaria, non amittuntur ob renouationem iusto tempore non petitam. Richterus. *vol. 2. Cons. CCLXXIIX. num. 6. seq.* vbi in Dicasterio Ienensi Mense Ianuario M DC XXIV. ad requisitionem Andreæ Marstolfs zu Gesewitz/ responsum fuisse scribit. Quoniam igitur Emphyteusis, si vel maxime feudis comparanda, rusticis

rusticis tamen, & exiguis propius accedit: Idem in ea quantum ad amissionem statuendum erit.

§. III.

Concludimus igitur, quòd emphyteuta propter non 68.
petitam renouationem non debeat priuari bonis: prout non Scabinos modo Electorales Lipsienses ad consultationem quæstoris in Lauchstädt/ Mense Iun. M DC LXXXI. respondisse, verùm etiam in Senatu appellationum in causa Hansen Heinrichs von Ende/ contra Valentini Carls Erben in Termino Trinitatis M DC XXII. ita decisum fuisse, Carpzouius *1. Respons. 87. num. 6. seq.* refert. Non obstante, illo Dominorum Wittebergensium, seu responso, seu argumento à feudis desumto: quippe cuius lubricam sequelam ostendit Idem Carpzouius *ad. p. 2. C. XXXIIX. d. 20.* † Extendimus hoc ad bona censitica vt nec ipsa, 69
ob non petitam renouationem amittantur. Autore B. Dn. Struuio. *S. F. cap. 11. aph. 10. num. 3. fol. m. 69. in fin.* ob defectum sc. dispositionis Iuris. Prout Dn. ICti Ienenses ad requisitionem Bernhard Elsäßers/ und Daniel Plancks Inwohner zu Leipzig/ Mense Iulio M DC XXI. responderunt. Und in Rechten an keinen Orthe versehen / daß die Lehen dergleichen Güter in Gewisser Zeit sollen und müssen gesucht werden/ und daß die Emphyteutæ, oder Censiti wegen nicht zu gewisser Zeit gesuchter Belehnung derselben Güter/ sich unfähig / und verlustig machen sollen. vti Richterus *vol. 2. Consil. CCC. LXXXIX. num. 3.* refert. † Nec ta- 70.
men impune id ferent possessores, sed arbitrarie puniuntur. Id *dict. Decis. LXXXIV. num. 7.* Carpzou. *p. 2. C. 38. d. 20. & 6. Respons. 108. num. 4.* Præsupposito sc. perin-

de vt in feudis, quod ex dolo & malitia omiserint. Richter *vol. 2. Conf. CIIX. num. 3. & Conf. CCCCLIV. num. 21.* vel latam ob culpam, quæ dolo comparatur Beat. Dn. Struu. *S. F. cap. X. aph. 8. num. 1. fol. m. 382.* sola negligentia non sufficit, Dn. Richter. *vol. 2. Conf. LXXXII. num. 7. & 12. & conf. CCCLXXXIX. num. 9.* Iusta autem causa excusat. Id. *dict. Conf. LXXXII. num. 15. Conf. CIIX. num. 13. & Conf. CCCXXX. num. 5.*

CAPVT VI.

DE PROCESSV.

§. I.

71 Sunto hæc de Iure Renouationis cognoscendo. Sequitur de eodem persequendo & applicando: In quo duo sunt occupati, Aduocatus quidem postulando, Iudex autem ius reddendo. Quod ad Emphyteutam attinet, debet casibus contingentibus pro renouatione impetranda nomen apud Dominum profiteri, eamque petere verbis reuerentialibus, Wesenb. *vol. 7. Consil. CCCXVI. num. 34.* Formulam, quanquam in feudalibus vsitatam, sed mutatis mutandis, facili negotio ad Emphyteusin applicandam, repræsentat idem *vol. 3. cons. CIIL. num. 88.* add. Hackelmann. *in Addit. ad Schneid. part. 5. lit. B.*
72 † Dato tamen casu, quo petitum istud haud exaudiat Dominus, tum in ius etiam vocari poterit, instituta ex contractu actione, idque coram iudice ipsius ordinario.

Beat.

Beat Dn. Struu. *Synt. Feud. cap. X. aphor. 11. p. m. 390.* Nimirum ad competentiam Fori potiſſimus in quouis proceſſu habendus eſt reſpectus. Quæritur itaque, quando caſu conuerſo Emphyteuta intra annum renouationem haud petiit, & ideo Dominus contra eum ad priuationem, vel aliam pœnam agere velit, vbi actio inſtituenda? Vtrum Dominus ad ſuum Sculterum, & Scabinos, ſi Nobilis ſit, Emphyteutam, ſi Vniuerſitas ſit, ac forſan Iure Schrifft-ſaſſiatus gaudeat, vocare poſſit. An teneatur ipſum ad Curiam Prouincialem, vel Regimen Illuſtre vocare? † Prius fecerat Alexander ille Miltitzius, cuius ſæpius fe- 73
cimus mentionem, idque ex conſilio ICtorum Wittebergenſium: pro quo, non attenta exceptione incompetentiæ fori Menſe April. M DC XXIII. fuit pronunciatum, eaque ſententia in Inſtantia Appellationis a Curia Prouinciali Lipſienſi, d. XIIX. Martii M DC XXVI. confirmata, prout habet Berlichius *part. 2. Deciſ. CXC. num. 1. & 9.*

§. II.

Admittere eum paratus, voluntatem hanc ſuam 74
notificare poterit literis ſimpliciter intimatoriis. Vtrum vero non citatio formalis eſt neceſſaria? quod videtur, quantum ad nouam, eamque primam, affirmandum: Ex quo ita in Feudis ſeruatur. Atque ita forte exaudiendus & Weſenbecius *volum. 3. Conſil. CI. num. 1.* † Qui ob id neutiquam ſibi contrarius, quando 75
alibi paſſim ait, neceſſariam non eſſe citationem, ſed anteuertere eam oportere Emphyteutam. *vid. volum. 1. Conſ. XLIV. num. 81. fol. 1178. & volum. 3. Conſil. III. n. 13. verbis:* Darzu ſie der Lehn-Herr nicht vorladen darff/ ſondern iſt der Lehn-Mann ſich ſelbſt zu erinnern/ und ohne Be-
ruf-

ruffung bey den Lehnherrn darumb anzuhalten schuldig. junct. *num. 25. eodem & vol. 6. C. CCLXI. num. 2. nec non vol. 7. Conf. CCCXXXII. num. 336. fol. 938.* Declaratur enim id ipſum. *vol. 1. Conſ. XLI. num 54.* de Feudis antiquis: vbi ſtylus curiæ debebat heredibus eſſe notus, oportere
76 eos ſe ipſos offerre. † Circa Executionem citationis alius mouebatur ſcrupulus, quod Dominus curauerit eam per ſuos Miniſtros in Curia Senatoria inſinuari; cum debuerit per Curiam Prouincialem Senatus in ſubſidium citari. Enimvero Senatus Appellationum eo non attento, die XVI. Iun. M DC XXVII. male appellatum decidit, cauſamque ad Iudicem prioris Inſtantiæ remiſit, eamque ſententiam die V. Decembr. M DC XXXI. in Inſtantia Leuterationis confirmauit, apud Berlich. *dict. Deciſ. CXC.*

§. III.

77 Actus ipſe pro futura memoria, & facienda quondam probatione, Acta confici, Inſtrumenta, Teſtes requirit: atque exigitur, in renouatione primam Inueſtituram reproduci, die vorigen Lehn-Brieffe und Macht-Scheine mit zur Stelle zu bringen. Renouationes illæ teſtes equidem admittunt qualeſcunque, vti iam ſupra monitum, documentum tamen Inueſtituræ renouatæ ſigillo Domini probandum. Weſenbec. *volum. 6. Conſil. CCLXIX. n. 12.*
78 *fol. 74.* † Cæteroquin & præſumptiones in materia renouationum inueniunt locum, atque præſumitur renouatio facta ſub iiſdem qualitatibus, & ſecundum naturam contractus præcedentis, & antiquam Inueſtituram. Beſol. *volum. 1. Conſil. XIIX. num. 2. fol. 435.*

§. IV.

79 Exceptiones afferuntur partim ab Emphyteuta contra

16.

tra Dominum variæ, v. g. Incompetentiæ, non factæ citationis; speciatim aduersus priuationem attentatam allegantur iustæ causæ, legitima dixeris impedimenta, nescientia mortis nouissimi possessoris, absentia, & similia, de quibus conf. Wesenbec. *volum. 3. Consil. CI. num. 1. 5. 6. 16. 28. Consil. IIL. num. 46. & 280.* Ætas minorennis etiam excusat. Wesenbec. *volum. 7. Consil. CCCXXXII. n. 335. pag. 937.* Carpzou. *Disp. Feud. VI. Thes. 39. fol. 311.* Ad extremum, restitutio in integrum petitur. † Sed istæ 80.
exceptiones ab ipsa Rei persona desumuntur. A Domino sumuntur exceptio remissionis, seu expressæ, & vel ex postfacto, cum Dominus gratiam facit omissionis iam commissæ; vel ab initio impetratæ, hac lege inuestito emphyteuta, ne renouatione indigeat. vid. Carpz. *Lib. 6. Respons. LXXIIX. num. 13.* Poteftque a Domino fieri remissio, etiam inuitis cœteris. Beat. Dn. Struu. *Synt. Feud. cap. XV. aph. 12. num. 11.* Remissa tamen in feudalibus præstatione iuramenti, non simul remissa est petitio renouationis inuestituræ. Beat. Dn. Struu. *Synt. Feud. cap. X. aphor. 1. num. 2. p. m. 366.* Seu Tacitæ, Dominus enim inuestiens quem etiam post neglectam renouationem, videtur caducitatem remisisse. Carpzou. *Lib. 6. Respons. 84. num. 8.* Richter. *volum. 1. part. 3. Consil. XIV. num. 22. fol. 104.* Item quando in vita sua non est conquestus. Est enim contemtus species iniuriæ. §. *1. I. de perpet. & tempor. act.* Richter. *volum. 2. Consil. XXXII. num. 9. fol. 419.* An Dominus prædii Emphyteutici casu caducitatis canonem seu pensionem recipiens, caducitatem remisisse & emphyteusin tacite renouasse præsumitur? vid. Wissenbach. *ad tit. si ager vectigalis. thes. 36. & ad l. 2. C. de iur.*

Emphyteut. pag. 877. vbi & quæstiones affines. Sed si Dominus de caducitate dubitans, canonem interim acceptauerit, quid dicendum? Quod non præsumatur remissio: sicut enim hæc non extenditur ad incognita, ita nec trahi ad ea potest, de quibus quis dubitat. *arg. l. fin. C. §. sui autem nescius. de furt.* Attendendum tamen est, qualis hoc casu dubitatio Domini fuerit, & in quam partem
81. magis inclinauerit. † Vltimo quæritur: an Dominus directus etiam possit inuito emphyteutæ & reluctanti culpam remittere & inuestituram reuouare? Affirmatur: partim quod hoc, vt Emphyteuta iure suo priuetur ob neglectam, v. gr. renouationem, in fauorem Domini sit constitutum; ideoque in odium eius detorqueri nequit, *arg. l. quod fauore. 6. Cod. de LL. & l. nulla. 25. ff. eod.* Partim quod delictum suum nemini, ideoque nec Emphyteutæ debeat patrocinari, quo inde commodum se liberandi a nexu Emphyteutico acquirat. *arg. l. 12. §. 12. ff. de furt. l. non fraudantur. 134. §. nemo. de R. I.*
82. † Ipsi Emphyteutæ, actione forsan reuocatoria contra tertium possessorem experienti, opponi solet exceptio non factæ Renouationis. Nam renouatione Inuestituræ neglecta, quis excidit iure suo, vt deinde non possit turbare eum in quem possessor alienauit. Licet sit omnino extraneus. Carpzou. *Oner. Feudal. Decad. 1. thes. 2. num. 22. seqq. fol. 618.* Estque Exceptio non factæ Renouationis adeo exclusiua, vt non solum ab ipso Feudi Domino, aliisque agnatis, simultanee inuestitis, sed etiam a tertio quopiam in quem feudum (cur non & Emphyteusis) est alienatum, obiici possit, ad impediendam actionem reuocatoriam. Carpzou. *Lib. 6. Respons. LXXIIX. num. XII.*

Richter.

Richter. *vol. 2. Conſ. CCCCLIV. num. 10.* Vterque ex Hartmann. Piſtor. *part. 2. Quæſt. XX. num. 33.*

§. V.

Officium Iudicis in eo vertitur, vt cauſa per ſenten- 83.
tiam definiatur; ad quam ruere neutiquam decet, ſed viam per varia illic ſternere adminicula oportet. Opus habet inter cœtera interpretatione. Et quidem, an & quatenus argumentum a Feudis ad Emphytenſiu debeat admittere. Quod non tantum in fauorabilibus, ſed & odioſis fieri poterit, per ea quæ tradit Dn. Thomas, præceptor venerandus in *Inſt. Iurisprudent. Diuin. Lib. II. cap. 11. §. 160. ſeqq. & in Diſſert. Inaugur. de jur. circa frum. cap. 2. n. 68. ſeqq.* Extenſiuæ Interpretationi accenſemus comparationem culpæ latæ cum dolo, quod factum fuit in Effectu ex Dn. Struu. *S. F. c. X. aph. 8. n. 1.* Dies ciuiliter an naturaliter ſit exaudiendus? dictum fuit in Forma §. 4. † Accidit caſus, 84.
quo Emptor neglexerat caſum renouationis, venditor tamen nondum reſignauerat: Dominus agebat ad priuationem; quisque ibat ſe excuſatum: Quæritur cui Iudex imputabit culpam? Facultas Iuridica Lipſienſis Academiæ Menſe Septembr. M DC LX. reſpondit, Feudum Domino eſſe apertum, Emtorem tamen ob ceſſantem euictionem contractu haud teneri apud Dn. Richter. *vol. 2. Conſ. LXXXIII. per tot. fol. 421.* † Tandem circa ſenten- 85.
tiam quæritur: vtrum aliqua ſit opus, maxime in notorio, annon poſſesſione ipſo iure & facto excidere emphyteuta posſit? Et quoniam ſupra euicimus, regulariter non ad priuationem, ſed aliam pœnam arbitrariam, ob neglectam renouationem agere licere: ſequitur, quod nec Do-

minus ipso iure prædium occupare, sed omnino sententiam declaratoriam præmittere debeat; eleganter deducente Gailio *Libr. II. de pace publ. cap. III. num. 9. seqq.* & *arg. cap. Leopold. art. 28. pr. verbis :* unerhörter Sachen / nec contrarius est Wesenbecius *vol. 7. Consil. CCCXXXIII. num. 339. fol. 938.*

SIT DEO GLORIA!



CoROL-





COROLLARIA.

I.

Emphyteusis est contractus iuris gentium, & ad suam essentiam scripturam non requirit.

II.

Emphyteuta habet dominium utile.

III.

Ecclesiastica Emphyteusis simpliciter concessa, transit non solum ad descendentes, sed etiam ad heredes quoslibet.

IV.

Quod Emphyteuticus contractus iure Romano, illud libellarius contractus videtur iure Longobardico.

V.

Si intra triennium factæ canonis ſolutiones non impleant canonem vnius anni, Emphyteuſis amititur.

VI.

Dominus directus, lata licet ſententia priuatiua contra Emphyteutam, inuito remittere culpam commiſſam, vtque Emphyteuſin retineat, porroque canonem ſolvat, cogere poteſt.

VII.

Amiſſa Emphyteuſi, & omnes amittuntur meliorationes.

VIII.

Fundamentum obligationis in quaſi contractibus eſt conſenſus præſumptus.

IX.

Iuramentum quod promiſſioni accedit, non efficit, vt ſine interpellatione mora committatur.



X.

Res iudicata prætextu instrumentorum post repertorum non retractatur.

XI.

Depositum tam in mobilibus quam immobilibus rebus consistere potest.

XII.

Pactum ita initum, vt si intra certum tempus debitor non soluat, pignus sit creditoris proprium, non valet, quamuis pretium pignoris ab initio sit constitutum.

XIII.

Crimen extraordinarium est species criminis publici.

XIV.

Maritus est dominus dotis.

XV.

In Feudis Imperii peculiare beneficium est, admissio senioris, nomine omnium, ex æquo succedentium, inuestituræ renouationem petentis.

XVI.

XVI.

Vasallus dominum in aperto bello iniusto concomitans, in prælio consilium mutare, & dominum impune deserere non potest.

XVII.

Merces meretricia iure ciuili condictione ob turpem causam repeti nequit. Num in foro quoque morali?

XVIII.

Actus iure prohibitus per iuramentum nequit conualidari.

XIX.

Denegatio sepulturæ potest esse legitima causa belli.

XX.

Polygamia est contra ius diuinum.

❀ (o) ❀